


**05  
A  
1302**



DISPUTATIO JURIDICA  
UTILISSIMAM ET  
COTTIDIANAM DE PRIO-  
RITATE ET CONCURSU CREDITORUM  
materiam tām secundum jus Civile quām  
Saxonicum succinctē exhibens.

*Quam*

ADJUVANTE DEO

*Ex autoritate & permisso Amplissimorum Jutorum in  
florentissimā Academiā SALANA,*

SUB PRÆSIDIO

Amplissimi & Consultissimi Viri,

Dn. DOMINICI ARUMÆI JCTI  
eximii, Antecessoris publici, nec non dicasterii  
provincialis ac Scabinatus Adsefforū solertissimi  
Præceptoris sui summè honorandi.

*Publicæ censuræ in Jtorum Auditorio  
exponet*

GEORGIUS DASENIUS ROSTOCHIO-  
MEGAPOLITANUS,

Addiem 3. Dicembr. Anno 1614.

JENÆ,

---

TYPIS HENRICI Rauchmauls.

---

*Viris Clarissimis & Consultissimis,*

Dn. CHRISTOPHORO LUCOVIO<sup>Z</sup> J. U. Do-  
Dn. CHRISTOPHORO GERDES S<sup>t</sup>orib.

UT ET

*Viris Præstantissimis & Eruditissimis,*

Dn. REINHOLDO DETHLEVIO Dithmaro,  
Dn. GOTHOFREDO VOLHARDO Dresdeni,  
Dn. GEORGIO à Buggenum Oldenburg. Fris.  
Dn. PETRO ANDREÆ Blansdorff Dresdeni,  
Dn. NICOLAO Eggebrecht Wismar. Megapol.  
J. II. Candidat. & Studios.

*Fautoribus & amicis suis fraternis*

*Disputationem hanc publicam*

*In singularis affectionis signum, & continuandæ  
amicitiae causam*

*inscribit.*

*Georgius Dasenius Rostoch.  
A. & Resp.*





## Positio I.



Vod Imper. Justin. in pr. l. un. C. de rei uxor. act. totum rei uxoriæ jus, quod impostrum valere debeat, in unum tramitem redigens, inquit; Rem in præsenti non minimam aggredimur, sed in omni penè corpore juris effusam ; idem de hac nostra prioritatis materia meritò dici potest; cum non solùm hoc ipsum rei uxoriæ jus nobis exhibeat, sed etiam de pignoribus, jure fisci, pupillorum & aliorum tractet, ac per totum Juris Corpus ferè sparsa sit, unde difficultatem in se contineat maximam, quæ sanè animum nostrum ab instituto facilè avertere posset, ni ipsa utilitas , quæ ex hac materia elucet singularis, contrarium nobis suassisset, & calamum in man° sumere autor fuisset. Quam frequentissimè n. hodierno tempore inter creditores de prioritate lites ori- antur, cùm mercatores vel decoctores, qui non unum aut duos, sed plures habent creditores, quibus omnibus in solidum satisfacere non possunt, labefactata fide aufugiunt, quotidiana testatur experientia, & tribunalia omniaq; judicia, in quibus hujusmodi lites quotidiè decidendæ veniunt, comprobant: Quare ipsa se satis ostendit , & proinde commendatione non indiget l. i. ff. de restit. in integr. Quamvis a. quæ quotidiana sunt, plenius tractanda sint, l. legavi 25. de liberat legat ; nos tamen hac vice materiam hanc satis latam & disputabilem ( nam omnia thesibus comprehendi non possunt) brevioribus & arctioribus metis includemus, & quid circa illam in singulis juris sit, publico examini Lacionè exponemus.

A 2

2. Cùm

2. Cùm autem verborum prior, rerum potior ratio haberi debeat, imprimis cum *Cto Iulpiān.* in l. i ff. de reb. credit. è re esse existimamus, priusquam ipsam rem aggrediamur, paucis significationem creditoris attendere, ut vitetur vocabuli æquivocatio, πλύση enim est & tripliciter in jure nostro consideratur. Latissimè sumpto vocabulo Creditoris, dicuntur ii creditores, qui rei vindicationem habent, l. pecuniae 178. §. fin. ff. de V. S. l. si ventri 9. §. 2 ff. de privil. credit. l. is cui 42. §. 1. ff. de O. & Act. Facit l. i. ff. de compensat. ubi compensatio dicitur debiti & crediti inter se contributio; cùm tamen compensatione non tantum in actione personali sed etiam reali locum habeat. l. ult. C. de compensat. & hi impropriè & καταχεισθως creditores appellantur; nam creditores dicuntur, quibus aliquid debetur; at iis non debetur, quia id quod nostrum est, deberi nobis non potest propriè loquendo. Dd. in pr in verb. debetur. Inst. de Action. cùm amplius id acquirere non possumus. §. sed si rem 10. Inst. de legat. §. sic ita 14. Inst. de Action. sic minus propriè dicitur creditoris, cui absque fide & contractu interveniente, ex qualibet causa quid debetur, utputa ex delicto. l. ut si 12. ff. de V. S. item ex legato fideicommisso. l. i. C. de reb. aut. jud. poss. l. legatorum 1.. §. 11. ff. ut legat. seu fideicommiss. serv. caus. cav. Latius seu generaliter sumitur pro eo, cui ex quacunq; actione ex qualibet causa descendente vel persecutione, vel jure civili sine ulla exceptionis perpetuæ remotione vel honorario, vel extraordinoario, sive in diem vel sub conditione quid debetur. l. 10. & seqq. ff. de V. S. & omnes eos comprehendit qui fidem alienam in contractu aliquo sequuntur, recepturi aliquid ex eo. l. i. ff. de reb. cred. Specialiter & magis propriè dicitur creditoris, qui pecuniam tantum credidit. l. mutuum 2. §. 1. ff. de reb. credit. l. qui 34. ff. Mandat. l. si ventri 9. §. 2. ff. de privil. credit. l. ult. §. licentia 10. C. dejur. deliber.

3. Nos hic creditorem accipimus non solùm eum cui ex mutuo, sed ex quacunque causa quid debetur, sive ex vero contractu, sive ex q. sive ex delicto sive ex q. obligatio originem

ginem ducat, qui ut in possessionem mittatur, postula-  
te potest. *Videatur Gædd. ad l. 10. & seqq. ff. de F. S.*

4. Prioritas creditorum definitur, jus, quo alter alteri  
in solutione præfertur. Venditis enim bonis ob æs alienum,  
discrimen creditorum habendum est, ut qui potius jus habent,  
potiores quoque in solutione habeantur. Concursus est jus,  
quo in tributum, pro rata ejus quod debetur, sine ulla præro-  
gativa, vocantur. *l. procuratoris.* 5. *§. planè. ff. de tribut. aet. l. 6.*  
*C. de bon. aut. pud poss.*

5. In constituendis ordinibus creditorum, Autores qui  
hanc materiam tractant, diversimodè variant, alii enim plures,  
alii pauciores ordines ponunt. Nos potissimum ductum con-  
stitutionis Elect Sax. 28. part. 1. tanq; filum Ariadnes sequemur,  
septem q. classes constituentes. Quærum prima illorum erit, q  
omnibus aliis potiores sunt. 2. Altera: hypothecariorū cum  
privilegio exigendi, h.e. q simul privilegio vallati sunt. 3. Hypo-  
thecariorū tantum. 4. Personaliter privilegiatorū tantum, sed  
p cæteris eminentiū. 5. Arrestantiū. 6. Reliquorum personali-  
ter privilegiatorum. 7. Chirographariorum & simplicium per-  
sonalium creditorum. Hic enim ordo præscriptus in *d. constit.*  
*p. 1. in Saxonice regionibus omnino attenditur, & licet omnes*  
*species, singulorum generum exactè ibi non ponantur, hoc ta-*  
*men ex jure civili supplendum est. Quemadmodum enim*  
*Medico primum natura & dispositio corporis ægrotantis dili-  
genter intuenda est, antequam medicinam quam ex arte sua*  
*depromit, adhibeat; ita quoque JCto prius consuetudinem,*  
*fori & judicii inquirendam esse, antequam jus commune*  
*scriptum adhibeat, monet Muller. ad d. constit. 28. Elector. Sa-*  
*xon. num. 59.*

6. Sciendum autem est *d. constit. 28.* tantum loqui de  
iis creditoribus, quibus ex bonis obærati sive adhuc vivat, sive  
defunctus sit, satisfaciendum est, non autem de iis qui habent  
iure realia dominii vel q. & rem vel pecuniam suam apud de-  
bitorem suum adhuc extantem vendicant. *l. l. ff. & C. de Rei*  
*vindic.* cuiusmodi sunt commodatarii & depositarii, nā ii do-

minium non transferunt *l. rei commodat.* 8. cum *l. seq. ff. commod.*  
*l. licet.* 17. §. 1. *ff. de posit.* & citra omnem concursum indistinctè  
omnibus in re deposita & commodata præferuntur. *l. si ventri.*  
9. §. 2. *ff. de privil. credit.* *l. si hominem.* 7. §. 2. *ff. de pos.* *l. penult.*  
*C. deposit.* hocque totum facit jus dominii quod in re habent.  
*l. procurat.* 5. §. *sed si ff. de tribut. act.* *l. deposui.* 38. in *pr. ff. de pecul.* *l. si*  
*filius.* 14. & *l. cum fundus.* 31. §. 1. *si cert. pet.* N. 91. c. 1. vers.  
unumquemq;. Res enim sua nemini auferenda est. *l. Id quod ff.*  
*de R.* *l. si 23.* *C. de jur.* *doc.*

7. Egregiam circa depositarium adfert Beneven. Stracha  
*in tr. de decoct. tit.* *Qui pot. in bon. decoct. hab. n. 2. ex Paul. Castr.*  
*in d. l. si ventri.* §. 2. & d. l. 7. §. 2. *ff. depos.* distinctionem nota-  
tu dignam & *in dd. ll.* fundatam. Aut deponens rei depositæ  
dominium non transtulit, ut quia forsitan pecuniam in sacculo  
deposituit, & is omnibus creditoribus sive realia sive personalia  
privilegia habentibus, in illa re deposita, quando extat, præfer-  
tur, & hoc ob dominium quod in re habet. *d. l. si ventri* 9. §. 2.  
*vers. si tamen nummi.* d. N. 91. c. 1. & vers. unumquemq;. Aut de-  
ponens dominiū rei depositæ transtulit in capientem, etiam si  
pecunia vel res reperiatur in bonis decostoris, tamen de ea, ut  
de aliis ipsius bonis judicatur, abiit enim in creditum *l. procu-*  
*ratoris.* 5. § *sed si. de tribut. act.* aliud autē est credere, aliud depo-  
nere *d. l. ventri.* §. *in bonis;* & hoc casu inquiritur, an deponens  
usuras perceperit, & tunc dubio procul mutuū potius est, quā  
depositum, & non separatur à reliquis creditoribus, quia usu-  
ras accipiendo privilegium amisit *d. §. 2. l. 9.* Et hoc in casu ac-  
cipienda est *l. Lucius* 24. & *l. die.* 25. §. 1. *ff. deposit.* Quod ta-  
men secundum Strachham. *d. loc. num.* 3. limitandum est in  
pupillo per *l. qui nominibus.* §. 1. *ff. de administ.* & *peric. tut.* Ratio  
est: quia dupli de causa privilegium extitit concessum, quia  
scilicet depositarius, & quia pupillus; Unde si una deficiat de-  
positi, alia remanet, quia pupillus *d. §. 1.* Aut res deposita non  
extat, vel quidem extat, sed ejus dominium est translatum, &  
tunc si non accepit usurás, hypothecarii ob jus reale præferun-  
tur, *d. l. procuratores* 5. §. *plane. ff. de tribut. act.* Aut alii perso-  
naliter

naliter magis privilegiati adsunt, & ipsi hoc in casu potiores sunt deponenti, d. l. si ventri. 9. §. 2. aut tales non adsunt, & tunc inter alios personaliter privilegiatos potior erit deponens. d. l. si hominem 7. §. 2. & ad quartam classem pertinet. Strach. d. loc. nu. 3. Ex hac distinctione corruit pugna d. l. 7. §. quoties 2. & d. l. si ventri. 24. §. 2. Quam etiam approbat. Consult. const. Saxon. part. 3. quest. 7. n. 5.

8. Quid si plures depositarii concurrunt, num ordo spe-  
Etatur, an verò simul omnium ratio habetur? simul pro ra-  
ta admittendos esse, non considerata temporis prioritate exi-  
stimus per d. l. 7. §. ult. ff. deposit. nisi alter usuras acceperit,  
is enim habetur ac si depositi titulum non haberet d. l. Lucius  
24. de posit. ac probat Salicet. in l. fin. C. deposit. Quam limita-  
ti onem extendunt nonnulli ad alios quoq; creditores, ut plu-  
ribus concurrentibus, hi qui gratis mutuo dederunt, aliis fœ-  
neratoribus, quantumvis sint tempore anteriores præferendi  
sint. Bl. in d. l. fin. & alij. Quos refutat Strachha. d. loc. num.  
4. perl. Lucius 18. ff. qui pot. in pignor. ubi is potior est, non tan-  
tum sortis sed etiam usurarum nomine quæ accesserunt. Cui  
ad stipulamur.

9. Quæritur hic etiam haut inconvenienter: An vendi-  
tor fidem habens de pretio & tradens rem, ea adhuc extante  
concurrat cum aliis creditoribus, an verò habeat prælationis  
beneficium? Respondemus quod non: Exceptis duobus casi-  
bus; nisi aut possessionem saltem tradiderit, dominium autem  
donec integrum pretium solvatur, sibi reserverit per d. l. 5. § sed  
si 18. ff. de tribut. act. potest enim tunc venditor rei venditæ  
tanquam adhuc suæ incumbere, & cæteros creditores quo-  
dammmodo cogere, ut vel exsolvant quod residuum est, si rem  
planè consequi velint, aut recipiant quod exsolutum est, ab ea-  
quæ penitus abstineant. Et hoc in Marchia usitatum esse testa-  
tur Kopp. in suis decis. q. 28. num. 3. Aut in re vendita hypothe-  
cam sibi in principio cōtractus ante traditionem vel saltem in  
ipsa traditione expressè constituit. l. licet 7. C. qui pot. in pignor.  
& hoc casu verum est venditores creditoribus anterioribus  
etiam

etiam hypothecas habentibus præferri, cum hac ratione venditor causas pignoris omnium creditorum prævertit, quibus res priusquam esset in bonis debitoris non potuit teneri; si autem post traditionem factam & undique perfectam venditionem talem hypothecam constituat, aliis creditoribus habentibus anteriores hypothecas non præjudicat, statim enim emptori dominium est quæsitum, & jus creditoribus anterioribus acquiritur, unde in præjudicium eorum tale pactum adiungere non potest. arg. l. quod nostrū ff. de R. f. Strach. d. loc. n. 6.

10. Mulier quoque ratione dominii indistinctè præfertur omnibus aliis in bonis paraphernalibus adhuc extantibus. l. 1. C. de privil. fisc. l. ob maritorum 2. C. Ne uxor. pro mar. l. 1. C. Ad l. Jul. de vi publ. l. res 24. C. de donat inter vir. & uxor. Si vero maritus illas res consumpsit, similiter hac prærogativa mulier non gaudet sed tantum habet tacitam hypothecam absq; prælatione l. fin. C. de pacl. convent. l. ubi adhuc. C. de jur. dot. & hanc esse communē & in Camera receptam sententiā testatur. Mysing. s. observ. 4. & 6. obs. 45. numer. 1. & 2. atque ita cum cæteris concurrit & ad tertiam classem refertur.

11. Sic dominium rei furto ablatæ apud eum cui furto factum est, manet, nec per furem intervertitur, cum ei vindicatio competit. l. si pro fure. 7. §. 1. de condic. furt. l. ancillæ. 12. C. de furt. §. fin. Inst. de oblig. ex delict. quæ semper dominium præsupponit. l. si ego. 9. ff. de jure dot. unde res furtiva ei ante omnes creditores indistinctè restitui debet; per text. expressum in constitut. Imperat. Criminal. artic. 157. & seq. & iniquè à quibusdam magistratibus retinetur. Arg. l. si captiv. 20. §. 1. ff. de captiv. & postlim. Ratio est, quia dominus rei nihil admisit ac proinde propter delictum furis re sua privari non debet. Arg. l. sancimus. C. de pœn. An autem quando res furtiva consumpta est, bona furis pro re furtiva ablata tacitæ hypothecæ jure nexa sint eleganter tractat Beutherus in part. 2. Von der prælation &c. quæst. 15. quem vide. Nos, cum in toto jure hoc non repertiatur expressum, & re furtiva extincta, realis quoque extincta sit persecutio, negantium sententiæ subscribimus,

mus, ita tamen ut actione personali ex delicto obligatus maneat, & ad estimationem rei ablatæ simul teneatur per d. const. crimin. Imperat. art. 157. & seq. cuius obligationis personalis causa juri reali & hypothecæ potior esse nequeat. l. eos. C. qui pot. in pign. l. plus cautionis. de R. f. Diff. Beuther. alleg. loc.

12. Præterea heres in petitione hereditatis aliis creditoribus omnibus præfertur. l. fin. §. donec. C. de jur. delib. est enim heres dominus. §. fin. Inst. de her. qualit. & diff. & dominiū à defuncto in heredem continuatur. l. 11. ff. de liber. & posth. tenetur tamen postea heres creditoribus defuncti satisfacere & quidem in solidum etiā ultra vires hereditarias nisi beneficio inventarii hereditatem adierit, tunc enim non plus tenetur solvere. d. l. fin. §. et si præfatam. C. de jur. delib. Dissentire videtur jus Sax. lib. 1. art. 6.

13. Denique debitor pignoratitius, si debitum solverit, & res oppignorata adhuc penes creditorem sit, sub hoc ordine creditorum rectè computatur, nam dominus manet, etiam si illud creditori tradat. l. rescriptum. ff. de distract. pign. l. quid si. §. pignori. ff. de cÆdilit. edict. l. generaliter. ff. qui & à quib. man. l. pignus. C. de pignor. act. Idem de aliis casibus statuendum, prout sunt in l. filius fam. l. cum fundus. §. servum. vers. quoad peculiares ff. si cert. petat.

14. Hæc de creditoribus extra concursum & qui rerum domini sunt, resq; suas inter bona debitoris repertas quasi præripiunt. l. 1. C. de privil. fisc. dicta sufficiunt, nunc creditores in ipso concursu secundum classes in thesi §. constitutas ordinè considerabimus.

## Classis I.

15. Prima Classis; ut dictum, est eorum qui omnibus aliis in concursu præferuntur; & in d. const. 28. principem locum obtinent sequentia quinque debira. Mercedes Domesticorum, Impensæ funebres, sumptus in ægroti curationem facti, debita fiscalia h.e. quæ vestigalium aut tributorū nomine magistratui

B

debentur;

debentur; & deniq; pecunia quæ moribus Saxonis ex distra-  
ctione rei hereditariæ divisis pensionibus solvi debet. Hisce  
quinq; debit is ex jure civili duo adhuc aggregamus, nimirum  
debita Primipilaria, & eum qui ad emendam aliquam rem  
præsertim militiam pecuniam dedit mutuo, adjecto in conti-  
nenti expresso pacto, ut res illa empta pro debito pignoriob-  
ligata sit. De his ordine agemus.

16. Primò in hac classe prima ponuntur Mercedes Domes-  
ticorum, sive ministrorum, *Das Liedlohn / d. const. 28. in pr.*  
Cujusmodi mercedes etsi de jure civili nullum privilegium  
habeant, teste *Hart. Pift. lib. 1. q. 8. n. 2.* vigore tamē dispositionis  
juris Saxonici *in art. 22. lib. 1. Landr.* & ibi gloss. lat. ubi dicitur  
*Von dem Erbe soll man erstlich dem Gesinde geben ihren Lohn.*  
*d. const. 28.* hujusmodi prærogativā domesticis cōcedit, ut omni  
æti alieno etiā impensis funebribus præferantur, licet nec pri-  
vilegii nec pignoris expressè mentionem faciat, ne verba con-  
stitutionis elusoria reddantur. *Kopp. d. quæst. 28. n. 14.* Cum quo  
consentit jus divinum *Levit. 19. v. 13. Deut. 24. v. 14. Malach.*  
*3. Tob. 4. v. 15. cap. fin. Epist. Jacob. v. 4. Syr. c. 35. n. 27.*

17. Ut a. privilegium hoc competit, non tantūm requiri-  
tur, ut merces sit promissa, sed etiam p̄cipue, ut tempore mortis  
sit domesticus, h. e. in ædibus & servitio defuncti repiatur. *Das*  
*er an seinem Brot diene/* *juxta gloss. in d. art. 22. in verb.* Iren ver-  
dienten Lohn. Primū requisitum q̄ attinet, mercedem esse pro-  
missam, existimat *Hart. Pift. d. q. 8. lib. 1. n. 7.* hoc sine alia p̄batio-  
ne præsumi, cū non verisimile sic quē operas suas gratis locasse.  
*arg. l. cum de indebit. C. de probat.* ideoq; hoc casu alleganti, quē  
gratis inserviisse incumbet p̄batio, præsumptio n. regulariter  
ab onere p̄bandi quē relevat idq; in adversarium transfert. *l. si-*  
*ve possidetur. C. de p̄bat. l. ab ea. ff. eod. l. fin. in pr.* *Quod met. cauf.* De  
quantitate a. mercedis in defectum p̄bationis statur juramento  
ministri. *d. art. 22. verb.* Vorleuchnet man jnen/ Secundū requi-  
situm aliter q̄ p̄juramentū p̄bari debet. *Hart. Pift. d. q. 8. n. 8.* Ex  
hoc secundo regisito cōcluditur, ad Advocatos aut alios quorū  
opera extraordinariè conducta est, hujusmodi sunt, opifices,  
manuati, sartores, futores. *d. const. 28.* non esse extendendā; ne

verba constitutionis ultra mentem electoris in infinitū exten-  
dantur; arg. l. qui constitutū ff. de milii test. Similiter & hoc pri-  
legium exspicit, si mercedis tanquā creditæ pecuniæ nomine  
minister usuras à domino accipiat, (q̄ apud mercatores non-  
nunq̄ accidit) tunc n. merces illa transiit in mutuū. arg. d. l. si ven-  
tri 9. §. 2. ff. de privil. credit. ubi cōmunitē Dd. dicunt, accipiendo  
usuras privilegiū amitti. Et in hanc sententiā p̄nunciatiū esse in  
scabinatu Lipsensi testatur Muller. ad d. const. 28. n. 9. Quā etiā se-  
cuti sunt in p̄nunciando Witebergenses. Atq; hoc privilegiū  
circa mercedes & debita ministrorū, ut aliis creditoribus omni-  
bus sive hypothecas sive personalia privilegia habentibus præ-  
ferantur, etiam in Marchia peculiari constitutione in tit. Von  
Erbfällen/in pr. introductū esse, attestatur Kopp. in d. q. 28. n. 13.

18. Habet locū hoc privilegiū nō tantū defunctis dominis, sed  
etīā viventibus, si facta executione bona ipsorū propter debita  
possideātur, & ita usū observari inquit Muller. ad d. const. 28. n. 6.

19. Secundū locum in h. classe obtinent, impensæ funebres,  
Was auff des verstorbenen schuldeners begräbnis auffgangen.  
d. const. 28. quæ omni æri alieno etiam de jure communi p̄afe-  
runtur per textum expressum in l. pen. ff. de religios. & sumpt. l. fin. §.  
in computatione C. de jur. delib. l. quæstū. 2 ff. de privil credit. Etsi v.  
Dd. eum qui in funus impendit, chirographariis tanūm po-  
tiorem existiment, ut & Neguzant. in tr. de pignor. in hypoth.  
memb. 2. part. 5. n. 28. & Vital. de Camban. in tr. Clausull. claus. Et  
specialiter n. 7. eò inclinent, quod tacitam saltem hypothecam  
non expressam habenti præferatur; tamen Meyer. sententia in  
lib. 2. tit. 2. de præferent. credit. tanq̄ humanior & religiosior ppter  
utilitatem publicā, ne cadavera humana diu insepulta jaceat. l.  
si qs 12. §. 3. ff. de religios. & sumpt. q̄ statuit ante omnes creditores  
nullo respectu habito expressè vel tacite hypothecæ tales expé-  
fas deducidebere, magis arridet p text. jam allegatum. Satisclarū  
in l. pen. ff. de religios. sumpt. Cum qua sententia d. const. 28. transit.

20. Quid autem impensarum nomine hic veniat descri-  
bitur in l. 14. §. funeris causa. 3. cum seq. & l. funeris. 37. ff. de reli-  
gios. & sumpt. ubi quod in ipsum defunctū impenditur, utpote

custodia, unctio, & vestitus cadaveris, locus seplturæ, & quæ præterea adhibentur solemnia Christiana, funeris causa tantum factum videtur. Igitur non improbabiliter quis dubitare potest. An etiam ea quæ in veste lugubres ministrorum, ut fascias sericas & pepla, propinquis & aliis funus comitantibus præsertim inter nobiles distribuis solita, ad sumptus funeris pertineant, & omne creditū præcedant? Quod cum *Muller. ad d. const. 28. n. 9.* affirmandum putamus, si modus adhibeatur, cum propter d. *const. 28.* tum propter d. l. 14. §. 3. ubi funeris causa sumptus factus videtur is, q̄ ideo sit, ut funus ducatur, sine quo funus duci nō potest: at hi sumptus fiunt ut funus ducatur imo sine his moribus in quibuslibet civitatibus & regionibus funus honestè duci non potest, quare contumelia videtur affectus defunctus, si non ea solemnia adhibeantur, quæ tamen pro diversis regionibus diversimodè variant. Igitur cuiuslibet regionis vel civitatis mos inspiciendus est.

21. An verò sumptus illi mediocres sint, an immodi, cum pro his prærogativa neutiquam competit. l. 14. §. 6. *dereligios. & sumpt. æquitis* iudex pro dignitate & facultate patrimonii defuncti estimare debet. l. *si quis. 12. §. 6. d. l. 14. §. 10. ff. de religios. & sumpt. Meno. de arbit. jud. quest. lib. 2. cent. 2. cas. 127. n. 12.*

22. Tertium locum in hac classē habent ea quæ in ægroti curationem impensa sunt; & conjungit d. *const. 28. Was auff des verstorbenen Schuldners Begräbnis vnd in seiner frackheit Arzney halber auffgangen: quēadmodū & ista duo mortui infirmitas & sumptus funeris conjunguntur. in l. in restituend. C. de petit. hered. & l. 3. C. de religios. & sumpt. ita quoque funeris appellatione venit id, quicquid corporis causa antequā defunctus sepeliatur consumptum est. l. *funeris sumpt. 37. ff. de relig. & sumpt. Wesenb. in w. de Religios. & sumpt. inf.**

23. Quamvis a. d. *const. 28.* expensarum in Pharmacopolio factarū tantum mentionē facit, idem tamen *Muller. ad d. const. 28. n. 27.* ad salario Medicorū & Chirurgorū hoc extendit, ut pote sine q̄bus curari ægrotus non potest. Verū cum privilegia expresse concedi debet, & nullibi privilegiū tale hac in re ipsis concef-

concessum sit, eodem quo reliqui Advocati causarum jure  
utentur, & ad classem sextam rejiciendi.

24. Quartum locum in *d. const. 28.* sibi vendicant ve-  
ctigalia & tributa quæ magistratui ex bonis subditorum de-  
bentur, vulgo Schöß vnd Steuer/ pro quo debiti genere bo-  
na subditorum allibrata & accatastrata magistratibus, tac-  
tè obligata esse tradunt Dd. in l. i. C. in quib. caus. pign. vel hy-  
potb. tac. contrah. per d. l. t. Neguzant. in tr. de pignor. 4. memb.  
2 part. n. 125. Peregrin. de jur. fisc. lib. 6. tit. 6. n. 49. & seq. Et  
quamvis iidem ac unà Müller ad *d. const. 28. n. 28.* jure com-  
muni jus prælationis his collectis denegent, certum tamen  
est ex l. i. & ibi not. C. si propter publ. pensit. ejusmodi pensita-  
tionum publicarum nomine fiscum singulari jure uti & o-  
mnib. aliis præferri in ipso prædio tributario, ut notat Schurf.  
cent. 2. consil. 83. n. 4. & Sichard in *d. l. i. n. 10.* Quod tamen  
ad debita à magistratu oppidano vel decurionibus civitatum  
cum suis civibus contracta nequaquam extendendum, cum  
diversi juris censeantur, quemadmodum notabiliter addit  
*Schurff.* in alleg. loc. & Sichard. ad *d. l. i. n. 10.*

25. Quinto & postremo loco in *d. Elect. Const. 28.* po-  
nitur das Erbgelt / h. e. pecunia illa quam heres coheredi è  
bonis hereditariis immobilibus pro sua portione, distinctis  
terminis, solvendam debet; ut in casu *Constit. 21. part. 3. §.*  
Do aber. & ab illa quæ passim ab aliis emptoribus rerum im-  
mobiliū solvi debet, auff Tagzeit/ rectè distinguitur; si qui-  
dem illi jus prælationis tantùm tribuitur, huic non item.  
*Muller i. semest. 25. & ad d. Const. 28. n. 29.* Cujus distinctionis  
rationes hæ afferuntur. 1. Quod provincialis constitu-  
tio, ut & quodvis aliud statutum stricti juris sit, & ad casum  
omissum nullatenus, extendendum. c. causam. & quæ ibi tra-  
dit *Felin. ext. de rescript.* 2. Quod alias creditor sive venditor,  
habens fidem de pretio, & tradens rem, si ea adhuc extante  
concurrat cum aliis creditoribus, nullam præ aliis priorita-  
tem habet, nisi sibi in re vendita expressam hypothecam re-  
servarit, consult. *Const. Sax. p. 3. c. 7. n. 10. & sup. th. 9.* Quæ re-

servatio planè supervacanea foret, si sine discrimine pretium residuum omne quod ex contractu venditionis solvit, auff *Eagezcit* / privilegium ex d. *Const.* 28. haberet, ut hypothecis omnibus sive tacitis sive expressis etiam tempore anterioribus præferetur. Fallacia autem tota in vocabuli homonymia consistit, quod per vulgarem abusum, ad quasvis pensiones ex contractu venditionis provenientes, extenditur, in qua lata significatione hic non sumitur, sed in angusta, ut patet ex ratione prima in b. θ. allegata.

26. Præter quinq; hæc debita in d. *Const.* 28. expressa, duo adhuc ejusdem juris ex jure Civili addimus. Sexto itaq; prærogativam hanc habent debita primipilaria. *l. satis notum* 4. C. in quib. causis pign. tac. contrah. l. 3. & 4. C. de primipil. Primipili autem olim fuerunt legionis principes, qui res militares administrabant, & annonæ militari curandæ & distribuendæ præponebantur. Vulgo Schätzmeister. Kopp. d. q. 28. n. 17. *Gothof.* in not. ad lit. C. de primip. *Donell.* in tr. de pignor. c. 5. v. *Est autem primipilus.* Cujus administrationis magna meritò habetur ratio propter commoda, quæ ex militari annona rectè curata & distributa promanant, & rursus incommoda, quæ ex ipsius neglectu vel minima interversione oriuntur; imò hujus causæ tantus est favor, ut non tantùm ipsorum primipilorum bona fisco obligentur, sed etiam uxorum dotes. d. l. 4. in quib. caus. pign. vel hypoth. tac. contrah. nec non ipsi filii quamvis patri heredes non extiterint propter naturalem saltem conjunctionem, quæ inter patrem & filium intercedit, & propter quā, p una persona habentur d. l. 4. C. de primipil. cuius singularitatis sive specialitatis nulla alia ratio est, quām quod publica utilitas privatorum contractibus præferenda. d. l. 3. C. de primipil. & *Auth. omnes. C. communia de legat.*

27. Septimò cæteris omnibus præfertur is, qui ad emendam, præsertim militiam, vel aliam aliquam rem vel prædiū pecuniam credidit, adjecto in continenti expresso pacto, ut res illa empta, pro debito, pignori sit obligata. per text.

*tex. in l. licet 7. C. qui pot. in pign. N. 97. c. 4. N. 136. c. 3. Aut b.  
quo jure. C. qui pot. in pig. Quam sententiam cum Neguzant. in  
2. memb. 5. part n. 17 & Kopp. in d. q. 28. n. 26. & seq. contra Br.  
in l. interdum. ff. Qui pot. in pign. defendemus.*

28. Omnipotè autem & præcisè necessarium est, ut hoc pactum ab initio mox specialiter interveniat, alioquin anterioribus creditoribus non præjudicat per d. l. licet 7. & d. N. 136. c. 3. Quod ea de causa exigitur, ut creditor possit prævertere causam pignoris omnium aliorum præcedentium creditorum, quibus res, priusquam esset in bonis, non potuit teneri; cum autem incipit esse, tunc suam conditionem retinet, quæ est, ut ei oppignorata sit, qui in eam comparandam mutuavit; una quæq; n. res cum suo onere transit. *l. alienat 67. de contrah. empt.* Et regulariter res ex pecunia alicujus comparata ei non obligatur, nisi hoc expressè & nominatim conventum est *l. 17. C. de pignor.* Tantum de prima Classe, transeamus ad secundam.

## Classis II.

29. Secunda Classis attributa est hypothecariis, cum privilegio exigendi simul: Nam creditorum alii aut nudam tantum habent hypothecam; aut cum privilegio exigendi simul; hi merito illis præferuntur, ex eo quod duo vincula fortius ligant quam unum *arg. Auth. Itaque. C. communia de success.*

30. In horum numero primarium locum possidet Mulier, cuius & solius *in d. Const. Elect. 28.* mentio fit, ita tamen, ut tripliciter in considerationem veniat. 1. Respectu dotis Wegen ihres eingebrachten Guts/ 2. respectu donationis propter nuptias, wegen des Gegenvermächtnus/ 3. & deniq; respectu dotalitii, wegen des Leibgedinges.

31. Respectu dotis acris fuit inter Dd. tam antiquos quam modernos semper disputatio, à Bulgaro & Martino antiquis Glossatoribus primum orta, quorum ille mulierem solis

folis creditoribus anterioribus tacitam hypothecani habentibus præferri voluit; hic indistinctè omnibus atq; etiam expressam hypothecam habentibus propter text. in l. assiduis 12. C. Qui potior in pignor. Martini sententiam magnæ autoritatis plurimi inter recentiores amplexi sunt, maximè Cujac. in N. 97. & alibi. Eamq; opinionem inter alios plurimis rationibus copiosè defendunt, & ad contraria respondent Anton. Guibert. in tr. de dot. c. 7. n. 5. & seqq. Marian. Socin. in l. 1. n. 115. cum seqq. ff. solut. matr. Ampliss. Dn. Praeses in disp. 15. Institut. Parerg. Harprecht. in tit. de Action. §. fuerat. n. 7. In utramque partem eam disputat Novell. in tr. de dot. p. 10. privil. 1. ac secundum eam in Camera pronunciatum fuisse refert Myns. 4. obs. 13. Et eandem sequitur in Institut. §. fuerat. de actionib. nu. 12. & seqq. Contrariam opinionem nempe Bulgari post gloss. in d. l. assiduis. & §. fuerat. Inst. de act. Secuti sunt Bart. Angel. Jason. Zaf. Gomez. Schneid. in d. §. fuerat. Inst. n. 58. Wes. in ḥ. qui pot. in pignor. Negüz. 2. memb. 5. part. n. 25. Donell. c. 12. inf. c. 14. n. 3. & add. l. assiduis. Sichard. in d. l. assiduis. post alios ibi allegatos testatur, hanc opinionem in foro & judiciis observari, & secundum illam decisiones causarum fieri solere. Sic Gail. 2. obs. 25. eam juri & æquitati magis consentaneam esse inquit, additq; n. 10. secundum eam intrepidè se judicatum esse, nec meminisse in Camera ab ea suo tempore unquam recessum fuisse; Ut & in hac opinione est Elect. laudatis. August. in d. Const. 28. cum dicit: Daß nemlich des Schuldeners Eheweib allen andern Gleubigern / so nicht eltere ausdrückliche Vorfendung haben / vorgezogen werden soll. Nos dicimus Martini opinionem in punto juris Civilis esse veriorem per textum expressum in d. l. assiduis C. qui pot. in pign. & l. in rebus 30. C. de jur. dot. N. 97. c. 3. N. 109. c. 1. Qui textus indistinctè loquuntur. ubi autem ll. non distinguunt nec nostrum est distinguere. Facit & pro hac sententia; quod in dubio pro dote respondendum est. l. 70. de jur. dot. l. 85. de R. J. Cujus ratio est in l. 1. ff. solut. matrim. & l. 2. de jur. dot. Bulgari verò opinionem magis esse communem, & in foro receptam

ceptam, atq; his in terris peculiari d. *Const. 28.* approbatam ; à qua si discedatur in judicio , sententia lata contra apertum jus, in his terris Saxonicas, nulla esset l. i. §. 2. quæ sentent. fin. appell. rescind. l. 19. C. de Appell c. 1. extr. de rejudic.

32. Quando autem hoc privilegium dotis incipiat de jure Saxonico, constat ex *Const. 24. part 2.* nimirum à die nuptiali, modo numeratio realiter subsequatur. De jure civili dissentient Interpp. alii à die datæ & solutæ dotis ; alii à die promissionis, licet numeratio ex aliquo demum temporis intervallo sit subsecuta, id exordientes. l. 1. ff. qui pot. in pign. l. un. §. 1. C. de rei uxor. act. Quam posteriorem ut communem & veriorem sententiam cum Neguz. 4. memb. 2. part. n. 80. amplectimur ; modò tempore promissionis contractum sit matrimonium, propterea quod absque matrimonio dos esse nequeat l. 3. ff. de jur. dot. Et hanc sententiam fovet d. *Const. 24.* dum clarè disponit, Dass von Zeit der vollzogenen Ehe.

33. Hæc ita obtinent, si constat dotis numerationem verè esse factam. d. *Const. 28. in verb.* So viel sie dessen erwiesen/ si verò mulier numerationem non probet, sed confessio- nem mariti de dote proferat, non gaudet hoc privilegio. l. i. C. de dot. caut. non numer. nisi reliqui creditores & ipsi saltem sint chirographarii, i. e. habeant in chirographo mariti con- fessionem, his enim mulier præfertur. Moller. ad d. *Const. 28.* n. 36. tum quia in ambiguis pro dote respondendum. l. 20. ff. de jur. dot. tum quia non possunt creditores exigere à mulie- re eam probationem quam ipsi non præstant. arg. l. si uxor 13. §. judex 15. ff. ad l. Jul. de adult. Vide hic remissivè Neguzant. 4. memb. 2. part. n. 76.

34. Porrò Mulieri hæc prærogativa in dote saltem com- petit, non etiam in bonis paraphernalibus, quæ maritus ad- ministravit, aut in custodia sua habuit; nam etsi in his tacita- tam hypothecam habet mulier. l. ult. C. de pact. convent. l. ubi adhuc. C. de jur. dot. tamen de prælatione quoad hæc bo- na nullibi quicquam in jure dispositum reperitur, ut testan-

C

tur

tur *Dd. in d. l. assiduis*, & in §. fuerat. *Inst. de Action.* Beust. in  
tr. de dot. part. 3. c. 8. inf. Et hanc esse communem opinio-  
nem & in Camera approbatam testatur *Myns. 5. obs. 4. inf.*

35. Commodè hīc tractari potest Quæstio: An nulla  
certa dote constituta, omnia illata bona à muliere pro pa-  
raphernalibus vel dotalibus sint habenda? Hanc Quæstio-  
nem in utramq; partem tractat *Muller. ad d. Constit. 28. n. 38.*  
*cum seq.* Et de jure Saxonico distinctionem illam inter bona  
paraphernalia & dotalia non observari, sed ex consuetudi-  
ne omnia mulieris illata pro dote haberri, sive marito dotis  
loco tradita sint sive non, aut stante matrimonio ex succe-  
sione agnatorum mulieris acquisita, tradit *Coler. decis. 57. n.*  
*3.* ubi ita quotidie practicari inquit. Pro quo facit *d. Constit. 28.*  
litera, *Mit ihrem eingebrachten Gut/ so viel sie dessen beweisen*  
*kann.* ubi non distinguitur in dote, data sint nec ne, & sic a-  
liquoties pronunciatum esse in Scabinatu Lipsensi, testatur  
*Muller. alleg. loc. n. 42.* Nos in hoc dubio statuimus, mulierem  
favore muliebris patrimonii, quicquid illatum aut importa-  
tum ad maritum probari potest, prærogativa ista gaudere, ex  
stylo recepti fori maximè quoad immobilia, quæ maritus  
de jure Saxonico defuncta conjugi lucratur, ut dotem de ju-  
re communi, cum juri Saxonico id consentaneum esse ple-  
rique existimunt: Nam in Symbolizantibus facilis est tran-  
situs per jura vulgata.

36. Non extenditur hoc privilegium prælationis ad ex-  
traneos heredes. *l. un. C. de privil. dot.* nam privilegia quæ  
personæ sunt, interitum personarum consequuntur, & ad  
heredes non transeunt. *l. privilegia, ff. de R. f. l. 1. §. ult. ff. de*  
*Constit. princip.* exceptis solis filiis ejusdem matrimonii, à quo  
dos proficiscitur, qui hoc jus prælationis non jure heredita-  
rio, sed filiationis habent. *per N. 91. in pr. & d. l. assiduis 12. §.*  
*1. Schneid. ad §. fuerat. Inst. de act. n. 68.*

36. Respectu donationis propter nuptias; quæ mulieri  
in recompensationem dotis à marito cōstituitur, mulier hoc  
jus prælationis non habet. *d. Constit. 28. in verb.* In der Ge-  
genver-

genvermächtnus aber. d. l. assiduis. §. 2. Sed saltem eo nomine tacita hypotheca competit. l. ubi. C. de jur. dot. Neguzant. 4. memb. 2. part. n. 64. Schneid. ad d. §. fuerat. Instit. de action. n. 62. Ratio hæc assignatur, quod in donatione propter nuptias mulier certat de lucro captando, in dote autem de damno vitando, ideo plenius tunc mulieri consulendum esse censuit Justin. in d. l. assiduis. §. 2. Itaq; non est ita favorabilis sicut dos, quia dos est q. patrimonium mulieris. l. 3. §. ergòs. ff. de minor. & si remaneret indotata, fieret præjudicium Reip. l. 1. ff. solut. matr. quæ ratio in donatione propter nuptias cessat. Nisi fortè ad donationem propter nuptias mulier ageret, non ut eam lucraretur, sed tantum pro dote specialiter obligatam, tunc enim in ea reliquis creditoribus, ut in dote præfertur. Neguz. all. lo. Perperam a. ex clausula ista in d. Const. 28. Dem Gleubigern zu Nachteil/ quidam concludunt, quod donatio propter nuptias omnino peti non possit, quām diū alii creditores extant fortè etiam nudi Chirographarii. Nam contrarium satis evincit particula Disfals/ quæ restringit se ad præcedentia, & nihil aliud vult, quām quod uxor in donatione propter nuptias jure prælationis non gaudeat, & cōsequenter hujus saltem respectu ad hanc secundam Classem non pertineat, perinde ut Justin. in d. l. assiduis. §. 2. Hæc a. tantum ad dotem sancimus non ad ante nuptias donationē q̄ suo tempore &c. ut eruditè notat Muller. ad d. Const. 28. n. 53. Quare ad sequentem ordinem eorum, qui tantummodo hypothecam habent absq; privilegio exigendi referimus, ut saltem posterioribus non prioribus tacitas hypothecas habentibus præferatur.

38. Quod ad Dotalitium attinet, quod plerumq; inter nobiles in territorio Saxonico uxoribus ratione dotis illatæ peculiari & à juris communis dispositione separata ratione constituitur, Elect. August. laudat. memoriae in d. Const. 28. perinde ut doti jus prælationis tribuit, expressè discriminando illud à donatione propter nuptias his verbis: Jedoch was der Leibgeding halben verordnet/ bleibt in Würdten und freß-

ten. *Lehenrecht art. 31.* Ratio diversitatis est, quia moribus nostris præsertim in foro Saxonico dotalitium succedit potius doti, quam donationi propter nuptias, ut notat *Wesenb. conf. 50. n. 26.* Et dotalitium esse hypothecam dotis cum pacto antichreos idem dicit *conf. 48. n. 6.* Cui suffragatur *Const. Elect. Saxon. 42. p. 2.* ubi verbis apertissimis de communi ac indubitata jurisprudētium opinione, ipse met *Elect. Aug.* jus prælationis tribuit dotalitio, cum per dotalitium dos in totū absorbetur & ejus loco subrogatur; unde cōsequenter idem de eo dicendum est q̄ de dote ipsa *arg. l. unic. §. 2. C. de rei uxor. act.* De natura dotalitii videatur *Hart. Pst. lib. 1. quæst. 4.* Et quomodo constituatur. *Beust. in tr. de dot. part. 3. c. 9. 10. & 11.*

39. Secundus locus in hac Classe rectè assignatur iis, qui ad refectionem vel conservationem ædificii, navis, vel alii aliquujus rei, alteri prius obligatæ, expressè crediderunt. *l. 1. ff. in quib. caus. pign. vel hypoth. l. 9. §. 1. ff. de priv. cred. l. 25. ff. si cert. pet. l. 1. de cession. bon. l. 41. §. 8. de legat. l. 5. & 6. ff. qui pot. in pignor. junct. Nov. 97. c. 3. & inde sumpta Auth. quo jure. C. eod. l. 26. l. 34. ff. eod.* In quibus locis dicitur his creditoribus privilegium exigendi ante alios competere: Ratio est, quia plus habet privilegii refectio quam ædificatio; nam per suam refectionem conservat jura sua & aliorum creditorum, quod non est in ædificatione: Ideò meritò potior est anterioribus hypothecam in ea re habentibus. *d. l. 5. & 6. in pr. ff. qui pot. in pign. Vide Hartm. Pst. lib. 3. q. 15.*

40. Ut autem hoc privilegium locum habeat, duo conjunctim requirunt. 1. Ut pecunia expressè & nominatim ad refectionē mutuo data sit; nam si simpliciter est mutuo data, licet creditor consumpsit eam in refectionē, tamen vocatur in tributum cum reliquis creditoribus *arg. l. 5. §. planè. ff. de tribut. act.* 2. Ut pecunia illa revera & actualiter ad refectionem impensa sit: si alterutrum horum abest, hoc beneficio non gaudet *d. argum. l. 5. §. planè. Mynsinger. 1. obs. 6. Gail. 2. obs. 25. n. 7.* Circa quod posterius tantùm membrum

dicimus

dicimus sufficere, si creditor probet rem opus habuisse ref-  
ectione, & ipsam realiter securam esse, ex communi Dd. scho-  
la. *Natta consil.* 547. *nu.* 21. Hancque sententiam amplectitur  
*Kopp. d. q. 28. n. 35. inf.*

41. Tertium locum concedimus fisco, qui in' bonis  
suorum administratorum & creditorum, hoc est, qui cum illo  
contraxerunt non tantum tacitam hypothecam habet. *l. 3. C.*  
*de privil. fisc. l. auferatur.* 46. §. 3. *de jur. fisc. l. 2. C. in quib. caus.*  
*pign.* sed etiam privilegium exigendi ante alias *l. 28. ff. de jur.*  
*fisc. l. 6. ff. eod. l. 19. ff. de privileg. credit.* etiam generalem hy-  
pothecam habentes in bonis post contractum cum fisco ini-  
tum acquisitis. *d. l. 28.* ita tamen ut privilegium suum non  
exerceat in pœna contra creditores, quo casu prærogativa  
ista locum non habet. *l. quod placuit.* 37. *ff. de jur. fisc. l. 17. ff.*  
*cod. l. unic. C. de pœn. fiscal.* propterea quod hoc casu fiscus  
de lucro captando, reliqui creditores de damno vitando cer-  
tent. *d. l. 37. arg. §. ult. d. l. assiduis.* alias ab hypothecariis tem-  
pore prioribus excluditur. *l. 8. ff. qui pot. in pignorat.* *l. 4.*  
*C. eod.*

42. Licet autem fiscus propriè sit Imperatoris. *l. 2. §.*  
*hoc Edictum. 4. Ne quid in loc. publ.* Idem tamen dicendum vi-  
detur de regibus, vel civitatibus superiorem non recogno-  
scientibus vel recognoscientibus attamen ex privilegio vel con-  
cessione speciali superioris, merum & mixtum Imperium, jura  
item fiscalia & regalia habentibus. *Kopp. decis. d. quæst. 28. n. 21.*  
Quod vero ad alias civitates superiorem recognoscentes &  
jura meri & mixti Imperii adeoque fiscalia jura non habentes  
attinet, illis jure communi jura fiscalia adeoque; *d. privilegium*  
*non competit*, cum non fiscum sed tantum bursam habeant.  
*l. 1. §. quib. ff. Quod cuius univers. nom.* *l. 16. ff. de Verborum*  
*Significatione l. nihil. ff. Ad Sct. Macedon. Schurff. cent. 2. con-*  
*sil. 93. n. 2.* nec ex contractu in bonis debitoris tacitum pignus  
habent. *gloss. communiter approbata in l. 2. vers. obligari. C. in quib.*  
*caus pign. vel hypoth. tac. contrah. per l. simile. ff. ad Municip. quam-*  
*vis in bonis administrantium ratione tributorum tacitū pignus*

habeant. l. i. C. in quib. caus. pign. l. i. vers. potior. C. si propter publ. pensit. Quod de consuetudine in Germania observari testatur Kopp. d. loc. n. 23. d. const. n. 28. p. 1.

43. Quartum locum obtinent pupillus, Mutus, furiosus, prodigus & alii, quibus in bonis suorum tutorum vel curatorum ob tutelam vel curam male administratam tacita hypotheca cum prælationis beneficio competit. l. 20. C. de administ. & peric. tut. l. unic. §. 1. C. de rei uxor. act. l. fin. §. discretis. C. de legit. tut. l. dabimus. 4. §. 2. cum ll. seqq. de privil. credit. N. 118. c. 5. in f. l. ult. ff. de tutor. & rat. distrahab. adeo ut si quis amicitia ductus negotia eorum gessit, ejus bona tacite obligata sunt. l. 8. ff. de privil. cred. Ex quo privilegio pupillus non solum personalibus sed etiam hypothecariis præferri statuit Pet. Vanderan. de privil. credit. c. 6. per l. 7. ff. qui pot. in pign. Quod tamen non nulli ad eum saltem casum restringunt, quando ex pecunia pupilli res empta est. per d. l. 7. l. 3. ff. dereb. cor. qui sub. l. pen. C. de serv. pign. dat. Sed cum magnus favore est pupillorum, semperque ipsorum ab antecessoribus habita fuit ratio, quantum absque aliorum creditorum injuria fieri potuit, nos pro administratione etiam locum habere privilegium, cum tacita pignoris obligatione, asseveramus. Pupilli autem heredibus non competit. d. l. dabimus. 4. §. 2. de privileg. credit. l. 41. de administ. tut.

44. Quintum & ultimum locum deferimus illis, qui privilegium quidem personale habent, sed de expressa hypotheca præterea sibi prospexerunt, quod ut plurimum solet accidere circa dationes & confirmationes tutorum, ut promittere cogantur se recte administratores esse, sub hypotheca omnium suorum bonorum, ut vel ex hoc capite aliis creditoribus saepè anteponendi sint. Sic si res pub. creditrix, quæ alias tantummodo personale privilegium habet l. 2. C. de jur. reipub. si expressam hypothecam sibi præterea constitui curaverit, non amplius ad ordinem privilegiatorum, non etiam nudorum hypothecariorum, sed ad hunc secundum ordinem pertinet.

Idem

Idem judicium esto de aliis personaliter privilegiatis, qui infra suo loco recensebuntur.

45. Notandum hic finaliter, quoties enumerati creditores concurrunt, quod unus contra alterum privilegio suo non utatur, sed æqualiter admittuntur, juxta illud, privilegiatus contra privilegiatum sua prærogativa non utitur, *l. verum. u. §. pen. ff. de Minor. l. quod & 3. ff. de Excusat.* nisi diversitas temporis h. e. prioritas vel posterioritas discrimen inter eos constitutat, aut specialis extat lex, quæ alterum alteri præferri jubeat: cujusmodi est sæpè *all. d. l. assiduus. juncta Anth. Quo jure C. qui pot. in pign.* Et tantùm quoque de secunda classe,

### Classis III.

46. Dictum est *§. in th. 29.* Quod creditores aut nudam tantùm habeant hypothecam, aut simul cum privilegio, & hos meritò illis proferendos, deque his in secunda classe hactenus egimus; sequuntur jam hypothecarii tantùm in hac classe tertia, *d. const. 28. in verb. Nach jeßberühren*, qui rectè privilegium personale habentibus præferuntur per *l. Eos. 9. C. qui pot. in pign.* plus siquidem cautionis est in reali jure quam personali *l. 25. ff. de R. f.* Hypotheca autem rem sequitur *l. Rescriptum ff. de pact. l. distractis. & l. pignoris. C. de pignor.* cum igitur magis sibi consuluerunt, fortius etiam jus sibi acquisiverunt, quia fortiora sunt jura quæ nobis facto nostro acquirimus, quam ea quæ à lege nobis tribuuntur, *§. furii. Inst. de oblig. ex delict.*

47. Hypotheca autem vel ex partium expressa conventione constituitur, utriusque partis gratia, debitoris scilicet, quo magis ei pecunia credatur, & creditoris quo magis ei in tuto sit creditum, ut patet ex *text. in §. ult. vers. sed quia Inst. quibus mod. re contrah. obl.* & hæc conventionalis dicitur; vel ex dispositione legis constituitur, licet nihil inter partes de hoc sit conventum *i. e. ff. & C. in quib. caus. pign. vel hyp. tac. contr.* quæ legalis vel tacita appellatur.

48. Hisce duabus pignorum speciebus prætorius pignus addimus,

addimus, q̄ duas ob causas datur 1. Ex causa judicati, & judiciale vocatur; cum condemnatus intra temporis præstituta non satisfacit judicatis, prætor pro ejus executione mittit creditorem in possessionem bonorum debitoris condemnati, de quo pignore loquitur t. t. C. si in causa iudic. pign. & t. t. C. de bon. anth. jud. possid. d. constit. 28. verb. Desgleichen haben auch &c. 2. Deinde cum legatorum fideicommissorum aut alterius rei servandæ causa vel ventris nomine vel damni infecti, si non caveatur, quis in possessionem à magistratu mittitur & de hoc pignore loquitur. l. 1. quib. ex causis in poss. eat. t. ff. & C. ut in poss. legat. vel fid. servand. tit. C. de pt. pign. t. ff. de dam. infect. l. 26. ff. de pignor. act. Etsi autem pignus judiciale aliquando Prætorium dicatur, quia utrumque datur à judice l. 2. C. de prat. pign. sunt tamen nonnullæ differentiæ inter illa pignora; ut notat Neguz 3. memb. 3. part. n. 2.

50. Inter hypothecarios habentes expressam hypothecam, si concurrunt, regula locum habet, ut qui prior est tempore, potior est jure. d. const. 28. in verb. Unter welchen die Eltesten/ l. 2. & l. 4. C. qui pot. in prin. l. qui prior. de R. 7. in sexto. Quæ regula in omnibus pignorum speciebus procedit. Gail. 2. obs. 25. n. 3. Et ratio est, quia jus priori jam quæsitus, ipsi debitor auferre, vel minuere non potest. l. debitorem 15. C. de pignor. & hypoth. Tempore autem priorem accipimus, non qui prior est credendi, sed hypothecæ accipiendæ tempore, seu prior jus pignoris accepit. secundum d. const. 28. in verb. Von der Zeit der erlangten Vorpräfung etc. Idem probatur. l. 11. ff. qui pot. in pign. l. 8. C. eod. Quod adeo verum est, ut licet hypothecata res posteriori tradatur, priori tamen hoc non obest, nam in pignoribus ipso jure transferrur possessio. l. creditor. 12. §. ult. ff. qui pot. in pignor. Et hypotheca durat etiam alienata. l. sicut. 8. §. non videtur. 15. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. l. penult. C. deremiss. pignor. l. si debtor. 12. C. de distract. pign. l. 14. C. de pignor. cum res quæque cum suo onere & causa transeat. l. alienat. 67. ff. de contrah. empt. Consequens igitur est dispositio nem l. 15. C. de R. V. in pignoribus locum non habere. Kopp. d.

q. 28.

9. 28. n. 8. Consult. const. Saxon. p. 3. c. 7. n. 14. Neguz. 2. memb.  
5. part. n. 5. Beust. ad l. admonendi. ff. de jurejur. p. 471.

51. Si hypothecarii sunt ejusdem temporis, quibus eodem actu facta est hypotheca; tunc si fuit dictum & expressum, q̄ res vel in solidum vel pro parte obligata esset, illud servandum est. l. si fundus. §. penult. ff. de pignor. si minus, omnes æqualiter etiamsi contractus sunt diversi nullo prioritati loco relictio pro rata admittuntur. d. §. penult. inf. l. si fundus. Neguz. and. 2. memb. 5. part. n. 31. si vero separati res fuit pignori data, nec constat cui primo vel secundo res fuerit oppignorata seu obligata, tunc aut unus possidet, alter verò non, & tunc melior est conditio possidentis. l. si debitor. 10. ff. de pignor. l. 128. l. 154 ff. de R. f. quia pro eo præsumitur l. 15. C. de R. V. aut neuter possidet, neuter etiam præsumptione juvatur, tunc pares censentur, non quod jus deficiat, sed quod probatio. arg. l. cum ex 31. de manum. test. Idemq; comprobatur d. const. 28. in verb. Und do 3wo. De præsumptionibus huc pertinentibus videatur Alciat. in tr. de præsumpt. neg. 3. præsumpt. 42. § 43.

52. Quando autem de prioritate temporis constat, prior, ut dictum, præfertur. l. 11. & 12. in pr. ff. qui pot. in pign. l. in fundum. C. eod. quod ampliatur, ut si concurrent, primus cuicunque generaliter omnia bona sunt obligata, & secundus cui quid specialiter ex illis, primus in re specialiter secundo nexa potior sit, et iamsi ex cæteris pecuniam suam recuperare possit. l. si generaliter. 2. ff. qui pot. in pign. l. 6. C. eod. nam hæc specialis continetur in illa generali priori, ideo creditor potiorem habet in ea causam, etiamsi certa bona pro debito prioris creditoris sufficerent d. l. 6. unde si prior creditor talem rem secundo specialiter obligatam vendidisset, molestari secundus emptor non potest, prout casus est in d. l. 6. Videatur hic. Hart. Pistor. q. 13. lib. 3. n. 1. & seqq. Pac. cent. 5. Enant. 28. Sic si duobus diversis temporibus omnia bona sunt obligata, primus adeo potior est, ut secundo etiam præferatur in quæsitis post utramq; obligationē l. fin. C. quæ res pign. obl. nisi forsitan secundus fuerit fiscus, is n. profertur in quæsitis post obligationē suā. l. 28. ff. de jur. fisc.

D

Hæc

53. Hæc regula quemadmodum & in nonnullis aliis casibus locum habet, ut videre est apud Kopp. in d. q. 28. n. 9. Et Neguzant. in 2. memb. 5. part. in pr. ita & in omnibus casibus, in quibus hypothecarii circa hypothecam specialiter privilegiati sunt, ut & in privilegiis personalibus, & nonnullis aliis, officiū suum perdit, quos diligenter concessit Idem Neguz in 2. memb. 5. part. Et habentur in Consult. const. Saxor. p. 3. c. 7. n. 22. Et seqq. Item explicationem hujus regulæ vide apud Dyn. in c. qui prior de R. f. in 6. Ad quæ loca brevitatis causa nos referimus.

54. Quæ de creditoribus habentibus expressam hypothecam dicta sunt, ea etiam locum habent in habentibus tacitam, ut qui prior est tempore potior est jure. I. si pignus. 8. I. insulam. 23. ff. qui pot. in pign. I. 2. C. de privil. fisc. alias æquale jus habent, & simul concurrunt ac æqualiter dividunt. Wesenb. w. ff. de privil. cred. d. const. 28. in verb. Oder vormüge der Rechten/ Diff. Hartm. Hartm. pract. obs. 8. lib. 2.

55. Casus in quibus tacita hypotheca contrahitur habentur in tit. ff. Et C. in quib. causis tac. pign. vel hypoth. quaritur. ac eos diligenter collegit ac declaravit Neguzant. 4. memb. 2. part. Quos hic referre brevitatis gratia supersedeo.

56. Sic bona prælati Ecclesiæ ab administrationem sunt tacitè obligata per c. illud. 11. q. 3. c. lator. 2. q. 7. An autem Ecclesia ex contractu, quando alteri credidit pecuniam habeat jus tacitæ hypothecæ quæstionis est? Quod cum Bl. in l. fin. C. de SS. Eccles. in col. 2. vers. ulterius quero, negamus; imò nec Camera Episcopalis peribi addit. Privilegium tamen personale habet, ideoque ad sequentem classem refertur. Quod tamen fallit in legatis Ecclesiæ; item in casu qui habetur in Nov. 7. c. 3. de Non alien. reb. Eccles. ubi Emphyteuta non solvens Canonem intra biennium cadit à jure suo, & pro deterioratione Emphyteusis bona ejus sunt Ecclesiæ obligatæ. Quem textum singularissimum esse inquit Bl. alleg. loc.

57. Dictum est quid juris, si concurrunt habentes expressam hypothecam item si tacitam: idem juris est, quando unus prætendens expressam alter tacitam concurrunt, nam si diversi

diversi sunt temporis, prioritas attenditur, si v. ejusdem, proinde habetur, ut de illis qui expressam hypothecam habent, nam generaliter taciti & expressi pars est virtus & pars operatio. *l. cum quid. 3. ff. de reb. credit. Vital. de Camban. in tr. Clausul. claus.*  
*E specialiter num. 14. in f. Beust. ad d. l. admonendi. pag. 475.*

*& 476.*

58. Realibus creditoribus id est, expressam vel tacitam hypothecam habentibus, annumerantur, & illi, qui secundum processum juris autoritate judicis ob cōtumaciā actualiter immisi sunt in bona debitoris, vel vigore sententiæ & rei judicatæ, vel ratiōne instrumenti Gvarentigiat, illis enim pignus prætorium constituitur. *l. 2. C. de præt. pign. l. non est minimo. 6. ff. de pignor. act. d. const. 28. in verb.* Desgleichen haben auch/de cujus immisionis effectu videatur *Neguzani. in 2. memb. 3. part.* secus autem est, si quis extra processum per rescriptum principis immisionem vel tantūm terminum immisionis impetravit, huic enim Elector expressè distinguendo nihil juris quoad prioritatem præ aliis tribuit, præter id quod ante immisionem habuit. *d. const. 28. in verb.* Ver aber/ Quem textum cum aliis intelligit *Muller. ad d. const. 28. n. 68. & 1. Semest. 25.* in illo casu, quando creditor, ut non raro fit, tabulam cautionis nullam habens, creditum suum vel testibus probat, vel sola debitoris confessione, si vero producat chirographum Guarantigiatum id est, quod vigore constitutionis provincialis paratam executionem habet, & petat illud executioni mandari, ac se in bona debitoris immitti, idque etiam nullo præcedente ordinario processu impetraret talem creditorem aliis jus reale tamen posterius habentibus præferri existimat nō obstante generalitate *d. const. 28.* idq; propter effectum ordinationis provincialis, quæ tabulis cautionum liquidis paratam executionem tribuit; qui omnino nullus esset, aut sanè perexiguus, hac distinctione non admissa, cum tamen non verisimile sit per *d. const. 28.* Electorem quicquam ordinationi provinciali derogare voluisse; Atque ita observari in terris Saxonicas testatur *Muller. all. loc.*

D 2

59. Tem-

59. Tempus prioritatis non ab executione sed ab immisso-  
ne computari verius est per d. const. 28. quæ de immissione reali  
loquitur: *Et per l. non est mirum. 6 ff. de pignor. act. ubi pignus non*  
*constituitur nisi ventum fuerit in possessionem.* Myns. i. obs.  
28. *Diff. Muller ad d. const. 21. n. 69.*

60. An a. inter creditores, pignus prætorium habentes, at-  
tendatur prioritas. Quæstionis est? Neguz. in 2. memb. 3 part. n. 10.  
constituit regulā. Quod judicis immisso hunc habeat effectū,  
ut uno immisso, cæteri videantur immissi, si concurrunt ii, qui  
sunt e jussdem tituli, nec attenditur prioritas, sed pariter ad pre-  
tium rei immisæ pro eorum ratis vocantur. l. cum unus. 12. & ibi  
gl. ff. de reb. aut. jud. poss. l. si finita. 15. §. 15. ff. de damn. infect. l. fin. C.  
de bon. aut. jud. poss. Vital. de Camban. in tr. Claus. claus. Et specialiter  
n. 40. inf. Beust. add. l. admonendi p. 467. ut puta, cum illis ex eodē  
contractu vel ex eadem ultima voluntate vel causa damini in-  
fecti æquo jure debetur, tunc unus immissus conservat jus alio-  
rum. d. l. 12. si v. prætendunt diversum titulum, unius immisso  
non prodest aliis, sed locum hebet regula: qui prior est l. si decre-  
to. 2. C. qui pot. in pign. l. 15. cui. §. postquam. ff. ut in poss. legat. aut  
cum immissus, qui haber causam onerosam, non prodest illis  
qui prætendunt causam lucrativam. gl. in d. l. cum unus. per d. l. 15.  
cui. §. postquam. Quam distinctionem reprobat Bart. in l. si & ff.  
qui pot. in pign. Cui respondet Neguz. cum Bl. all. loc. n. 10.

61. Similiter prædicta regula vitio afficitur in reali actio-  
ne si quis fuerit immissus, hæc immisso non prodest cæteris  
creditoribus, quia tali casu veluti dominus rei immittitur;  
Neguz ant. d. loc. Hinc immisso facta in hypothecaria non  
prodest aliis creditoribus carentibus hypotheca, ut probatur  
per Bl. in Authent. ei qui 4. col. C. de bon. aut. jud. poss. & ra-  
tiones ibi adductas. Item cum hodiè de jure C. in Auth. E qui.  
C. de bon. aut. jud. poss. ( quod secus erat de jure ff. rum.  
per l. cum unus. 12. ff. Eod.) secundum mensuram debiti decla-  
rati fiat immisso, unius immisso non prodest aliis, nisi quando  
in bonis debitoris non erat nisi illa res, in qua fuit facta im-  
missio; & tunc necesse est, ut expensas creditori pro rata  
reficiant

reficiant intra biennium, & citato debitore suum debitum certum faciant, qui volunt ingredi sicut primus. per *l. fin. C. de bon. aut. jud poss.* quod verum est si sunt ejusdem tituli, Plures restrictiones vide apud *Neguz. d. lo.*

62. Quid de Usuris; An pro iissis in concursu, quando bona debitoris ad exsolvendum æs alienum non sufficiunt, æquè competit prioritas sicut pro ipsa sorte? Quod de jure civili verius videtur, cum usuræ sunt licitæ, in vero & non simulato contractu per *l. Lucius. ff. qui pot. in pignor.* ubi non distinguitur, solvendo sit debitor nec ne. *Neguz. 2. membr. 5. part. n. 9. Myns. 1. observ. 59.* Et ratio est; quia accessorium sequitur naturam sui principalis. *c. accessorium. de R. f. in 6. l. cum princip. ff. de R. f. concessio igitur principali, conceditur & accessoriis. l. hos 26. C. de usur.* Verùm rectè distinguit *Muller secundum jus Saxonum in part. 2. ad Const. 30. § 1. semestr. 28.* inter usuras merè lucrativas; quando videlicet nihil damni ex mora sensisse creditorem debitor probare potest, & tamen præter sortem etiam usuras quincunes ex mutuo loco interesse petat, eum ante sortes reliquorum exsolutas non esse audiendum; & compensatorias, quæ ex re vendita venditori *juxta l. curabit 5. C. de action. empt.* debentur; veluti cum quis fundum vendidit, & emptori, qui nondum pretium solvit, tradidit, sed id uno cum fundo penes se retinuit, tunc usuras quincunes cum sorte in concursu rectè petit vendor, præsertim si constat emptorem tantum fructuum quotannis ex fundo vel prædio empto percipere potuisse, ut constat *ex Const. 31. part. 2.* Quia tum non de lucro captando certat vendor, sed de damno vitando, nec usuras propriè, sed rem propriam magis persequitur, fructus nimirum quos ex re vendita percipere poterat, & debebat, aut eorum compensationem, quæ fundata est, in æquitate justitiae commutativæ & vult, ut quatenus unus contrahentium implet, alter ei vicissim impleat, aut lucrum implementi recepti reddat, vel compenset, ne cum alterius jactura locupletetur. Idem statuendum in usuris moratoriis,

quando debitor probat ob defectum pecuniae, quam justo & statuto tempore debitor non solvit, coactum fuisse paternas ædes cum detrimento vendere, vel aliunde sub usuris pecuniam mutuam accipere, tum interesse damni emergentis vel etiam usuras quincunces loco eorum, unà cum forte ei adjudicari debere, æquum est, cum hujusmodi casus à d. Conſt. 31. ut apparet ex verbis; In diesen vnd dergleichen Fällen etc. non excludantur Müller. ad d. Conſt. 31. n. 4.

## Classis IV.

63. Sequitur quarta Classis de personaliter privilegiatis tantum, sed præ cæteris eminentibus, quibus ob favorabilem sui debiti cauſam privilegium exigendi ante alios concessum est, & prioritatem non ex temporis antiquitate, sed ex modo & qualitate privilegii habent. l. *privilegia. ff. de privil. credit.* unde si ejusdem sunt tituli vel causæ, vel etiam pariter privilegiati, licet diversorum titulorum vel causarum, non obſtante temporis diversitate, æquali divisione facta, concurrunt. d. l. *privilegia. l. si hominem 7. §. fin. ff. deposit.* si v. una cauſa magis est privilegiata quā altera, is qui agit ex cauſa magis privilegiata, præfertur, cum hoc per legē expreſſè & nominatim ita disponitur; prout casus sunt. in l. pen. ff. *de religios. l. assiduis 12. C. qui potior in pignor. l. quod quis 19. ff. de privil. credit. &c. Vital. de Camban. d. lo. n. 13. Hartm. Hartm. pract. obs. 11. lib. 2.*

64. Inter alios autem personaliter privilegiatos potior est deponens, si res amplius non extat, sed à depositario consumpta est. d. Conſt. 28. in verb. Ferner sollen ic. Quod etiam comprobat jus civile. l. *si hominem 7. §. quotiens. ff. de pos. si sc. nullas usuras percepit. l. si ventri. §. 2. ff. de privil. cred. Strach. intr. de decoct. tit. Qui pot. in bon. don. n. 2. & seqq. Molin. intr. de usur. q. 83. n. 636. & seqq.*

65. Secundò privilegium habent Ecclesia & pia cauſa d. Conſt. 28. in verb. Auch alles was zu milden ic. Nam si privilegium

legium datur miserabilius personis l. 4. §. 1. & seqq. ff. de privil. credit. multò magis debet competere Ecclesiis & piis causis, cum Ecclesia & pia causa æquiparentur in omnibus privilegiis impuberibus & minoribus; ut notat *Tiraquell. intr. de pia caus. privil. 142.* & seq.

66. Tertio loco in d. *Const. 28.* ponuntur alimenta, in quibus secundum consultationem *Const. Sax. part. 3. c. 7. n. 64.* distinguitur: Aut certus fundus ex quo annuatim præstari debent alimenta, est designatus; & tunc is, cui per contractum constituta sunt alimenta, habet tacitam hypothecam in fundo; aut sunt relictæ nomine legati, & idem est; aut deniq; simpliciter ex contractu petuntur alimenta, & nō competit tacita hypotheca, quia non reperitur inter casus, in quibus tacita hypotheca constituta est à jure, & hoc casu privilegium personale habere videntur, cùm propter d. *Const. 28.* tūm quia eorum causa est pia & favorabilis. l. 6. de ceß. bon. l. Item *Mela. verb. pietatis intuitu. ult. gl. Bart. & Dd. ff. de alim. & cib. leg. l. sancimus. C. de SS. Eccles. Petr. Surd. in tr. de alim. tit. 8.* Imò doti æquiparatur. gl. & Dd. in l. ob æs. C. de præd. impub. *Tiraquell. de privil. piæ cause.* Quod saltem verum est respectu personalis privilegii, non autem realis, cum dos duplex privilegium habeat, ut s̄ dictum. Appellatione alitorum quid veniat. vid. tt. ff. de alimento. & cibar. leg.

## Classis V.

67. Quinta Classis est Arrestantium d. *Const. 28. in verb. Und den nach diesen rc. Cur autem personaliter privilegiati arrestantibus præferantur ratio videtur hæc esse, quod illis ex dispositione juris communis absq; facto hominis tale privilegium competat, & sic locum habeat regula: Quod indulatum à jure beneficium nemini sit auferendum. l. si præcedentes 58. §. 1. ff. Mandat Consult. Const. Sax. d. p. 3. c. 7. n. 68.*

68. Arrestum (quod teste *Gail. in tr. de Arrest. c. 1. n. 1.* barbarum verbum est, usu tamen quotidiano in foro & judiciis ubiq; in Germania notum & receptum, & latinè manum inj-

injectio dicitur) nihil aliud est, quam personæ vel rei maxima mobilis vel se moventis interdictio, impedimentum seu prohibitio facta autoritate judicis vel magistratus jure, statuto, consuetudine vel pacto permissa atque concessa. Vel ut *Gail. in d. tr. de Arrest. Imper. c. i. n. 15.* definit, Arrestum nihil aliud est quam citatio realis, qua vel persona vel res sistitur & loco moveri impeditur, donec quod debetur, solvatur, vel cautio judicio sisti & judicatum solvi praestetur. Quæ tamen definitio personas tantum respicit, cum res & bona non citantur neque cautiorem praestant. Hujus Arresti vestigia quædam reperiuntur in jure civili *I. ait Prætor 10. §. 16. ff. quæ in fraud. cred.* ubi debitorem suspectum & vagabundum jura capi & detineri permittunt, immo ante cessionis beneficium permisum fuit, debitorem apprehendere & in vincula conjicere, compedibusq; coercere, ut patet ex *Gell. lib. 20. & l. i. C. quib. bon. ced. poss.*

69. Arrestatio autem secundum uniuscujusq; loci consuetudinem & statutum autoritate judicis competentis vel magistratus fiat. Sic ut Arrestum in terris Saxonici locum habeat ex novissima *Const. 29. lib. 1. & art. 70. lib. 1. Landr.* requiritur, ut non tantum tribus vicib. repetatur, interjecto spatio 14. dierum, sed etiam ut tertia vice similem proponatur libellus arrestationis, vulgo die Kummerflag / & citetur debitor, cum insertione debiti & petitionis ut Arrestum pronuncietur jure validum. Hæc autem adeò necessaria sunt & de forma Arresti, ut si unum ex his omissum, Arrestum pro nihilo reputetur; Forma enim statuti non servata, actus est nullus. *arg. l. si unus. C. de testam.*

70. Porro ex d. *Const. 28.* plus quam manifestum est, Arrestantibus statim ex illa hora quam primò arrestatum est, jus prioritatis competere in verbo, *Von der Stund an etc.* Unde si Titius prius de Arresto judicem interpellavit; Sejus verò postea judicem convenit, & libellum arrestationis simul obtulit, siq; Arrestum impetravit, Titium Sejo potorem in jure esse, nullum est dubium, dummodò in termino

tertiæ

tertiæ renovationis libellum arrestarium, ut in th. preced. dictum, exhibeat, & citari debitorem petat. *Const. 28. p. 1. Muller. 3. semest. 44. n. 12. & seqq.*

71. Arresto sic legitimè impetrato & continuato creditor chirographarius præ reliquis creditoribus chirographariis jus reale consequitur & pignus prætorium. *art. 70. lib. 1. l. 1. C. de præt. pign. cuius virtute postea reliquis chirographariis præfertur. Facit ratio quod inter plures creditores qui par jus habent præfertur is qui magis vigilavit. l. pupillus 24. in f. ff. quæ in fraud. credit.*

## Classis VI.

72. Sexta Classis est reliquorum personaliter privilegiatorum. *d. const. 28. in verb. Folgends. Inter quos refertur primò mutuans pecuniam, ut domus vel res alia ematur, nec sibi expressè de hypotheca cavens, qui tantùm personale privilegium habet, non tacitam hypothecam, nam res pecunia mea empta non est mihi specialiter nec generaliter obligata nisi expressè convenet. per l. quamvis. 17. C. de pignor. & hypoth. Auth. quo jure. C. qui pot. in pign. l. qui in navem. 11. & l. quod quis. 19. ff. de privil. credit. Si autem simpliciter mutuo data est pecunia, in re ex sua pecunia empta creditor destituitur privilegio. l. procuratoris. 5. §. planè. 17. ff. de Tribut. act. Gail. 2. obs. 12. n. 2. cum juris sit haud ambigui rem emptam ex pecunia aliena ejus fieri, qui eam suo nomine emit, neque domino pecuniæ quicquam acquiri per text. in l. 1. C. si quis alter. l. penult. C. eod. l. si ex ea. C. de R.V. nisi sit pupillus ut ex th. 3. patet. Vide Hart. Pist. lib. 3. q. 15. n. 1. & seqq. Vital. de Camban. d. loc. n. 17.*

73. Sic Republ. creditrix privilegium personale habet, & omnibus creditoribus chirographariis præfertur *l. penult. §. 1. ff. de privil. cred. Quod tamen Dd. intelligunt tantùm de Republ. Romana, aut quæ non recognoscit superiorem vel quæ à superiore regalia & tale privilegium habet. Wesenb. in ḥ. de privil. credit. n. 5. Neguz. 2. part. 5. memb. n. 114. Verum*

E non

non improbabilius videtur omnes respubl. creditrices privilegium personale habere per l. 2. & 3. C. de jur. Reipub. l. Antiochenium. 22. ff. de privil. credit. & præferri reliquis creditoribus chirographariis h. e. qui pignus non habent. d.l. penult. §. 1. etiam si jure communis exemplo fisci tacitam hypothecam non habent. l. simile. ff. ad Municip. nisi ex privilegio d. l. 2. C. de jur. Reipub. Cujac. 2. obs. 24.

74. Huc refertur quoque Advocatus ratione Salatii qui chirographariis præteratur. Consult const. Saxon. d. cap. 7. n. 43. quod procedit in Salario ratione advocationis Reo præstitæ, nam in propria causa nemo rectè Salarium petit. Et sic saepius pronunciatum esse in concursu creditorum affirmat Clariss. Dn. Svevius in suis pralect. ad tit. ff. de privil. credit. Sic Doctores & Scholares in debitibus causa studii præferunturaliis creditoribus, ut tradit Jas. in l. 1. n. 51. in f. ff. solut. matr.

75. De Medicorum Salario an huc pertineat dubitatur. Nonnulli ad classem primam referunt, Muller. ad d. const. 28. n. 27. propter rationem in th. 23. allatam. Et sanè fatendum est, videri quidem hac in re magis privilegiati quam juris periti, siquidem in personæ conservationem curam & industriam contulere l. 1. §. medicorum. 1. de var. & extand. cognit. ubi justior dicitur causa medicorum quam aliorum professorum. Inde tamen non rectè infertur, nos illam aliis præferre oportere, cum legumlatores id non fecerint. Multa justiorem præ se ferunt causam, quæ tamen idcirco in jure non præferuntur, aut ulla prærogativa sunt donata. Neque dici potest, quod Salarium de cuius prærogativa queritur, in ægroti conservacionem sit insumptum, ut ad impensas in ægrotum factas referri debeat, siquidem cura saltem & industria hic consideratur, in qua cum advocate causarum hoc loco medici compantur. Svevius all. loc.

76. Denique creditor cuius pecunia aliis creditoribus prævilegiariis satisfactum est, prærogatum habet, d. l. ventri. 9. §. fin ff. de privil. cred.

Classis

## Classis VII. & ultima.

77. Tandem & ultimò: Satisfactis prioribus creditoribus, siquid residui manet, quod raro in tali concursu creditorum contingere solet, chirographarii, quibus ex chirographo tantum sine pignore pecunia debetur *l. un. C. etiam ob chirogr. pec. pign.* & personales debitores, in tributum pro rata ejus, quod debetur sine ulla prærogativa, nulla habita ratione temporis, admittuntur. *d. const. 28. in f. Und scilicet l. 6. C. de bon. aut. jud. poss. l. procuratoris 5. §. planè ff. de tribut. act.* Ratio est, quia licitum est debitori per cumulum creditorum facere deteriorem causam creditorum neque dominium neque hypothecam neque privilegium habentium. *l. 1. §. ex contrario. ff. de separat.* & ideo in chirographariis creditoribus non attenditur tempus, quam rationem memoria tenendam esse moneret *Strach. de decoct. tit. qui pot. iu bon. de coct. n. 16.* Personalem autem debitorem intelligimus eum, qui sine chirographo & privilegio nudam personam obligatam habet; obligatio enim etiam absq; chirographo consistere potest; cum plerumq; ob probationem faciliorem saltem contractibus accedere soleat. *l. 4. de pignor. & hypoth. l. 4. ff. de fid. instrum.* & ejusdem juris censetur, modo de debito aliter constat. *d. const. 28. in verb.* Oder andere Nachrichtung ihrer Schulden halben vorzulegen haben.

78. Inter simplices personales creditores is in obtinendo suo potior est, cui prius debitor solvit. *l. 6. §. 2. de reb. aut. jud. poss. Vital. de Camban. d. loc. n. 11.* Extra privilegia enim & hypothecas, creditor vigilando suam conditionem meliorem facere potest, cum jura vigilantibus scripta sunt. *l. pupillus. 24. inf ff. qui in fraud. cred. l. summa. 21. ff. de pecul.* & in pari causa potior est conditio occupantis *l. 3. ff. quod cum eo l. 128. ff. de R. 7.* Quare iniquum foret solutionem creditori industrio factam, ab aliis retractari debere, cum negligentiae suæ expensum ferre debeant *d. l. pupillus. 24.* Et unicuique sua mora &

negligentia noceat. l. 173. §. 2. ff. de R. j. d l. 6. §. 2. sic potior est is qui prius damnato creditore, ex causa judicati pignus accepit, idque antequam bona à creditoribus possideantur; bonis namque possessis omnium par creditorum incipit esse conditio d. l. quod a. 6. §. sciendum. 7. l. 24. in f. ff. que in fraud. credit. l. 12. ff. de reb. aut. jud. poss.

79. Quod diximus vigilantium & occupatum meliorum esse conditionem, hoc fallit in tributoria actione, ubi non est melior occupantium & vigilantium causa, sed omnes occurunt & in tributū vocantur privilegiariis & hypothecariis exceptis. l. procurat. 5. §. 17. ff. de tribut. act. & ideo si creditor à mercatore, qui suum decoxit, sibi satisfieri petat, jure provisum est, ut non solvatur, nisi præstita cautione se pro rata refutum, si alius creditor postea emerget. d. l. 5. §. fin. Idq; ratione mercaturæ & negotiationis singulariter receptum est propter rationem quam reddunt, quod quilibet magis merci quam personæ credere censemur, quod locus est in aliis actionibus quæ ratione seu occasione negotiationis seu mercaturæ non dantur creditoribus, quibus sine cautione satisfieri debet, & qui primi veniunt, suum auferunt. l. fin. §. præfatam C. de jur. deliber. l. summum ratione. ff. de pecul. Strach. all. loc. num. 34.


80. Coronidis loco quæstionem illam difficilem & intricatam adnectere placet: An quod uni ex creditoribus solutum est, ab aliis revocari possit? In qua quæstione distingendum est: Aus res vel pecunia in qua creditor anterior volens eam revocare habet hypothecam, adhuc extat; & tunc dubium non est, præsertim quando debitor solvendo non est, quod actione hypothecaria possit incumbere rei & istam revocare per l. si fundus. §. in vindicatione de pignor. & hypoth. Gail. 2. obs. 25. n. 16. Peregrin. de jur. fisc. lib. 6. tit. 6. n. 8. Afflct. decis. 190. n. 4. Consult. const. Sax. d. p. 3. q. 8. n. 1. quia hypotheca est actio realis & datur contra quemcunque possessorem tertium. l. distractus. 14. & l. debitorem. C. de pignor. & hypoth. & res quælibet cum suo onere transit. l. 67. ff. de contrah. empt. Aut res non

non extat, & si quidem dolo desit possidere convenire poterit ac si possideret. *l. 15. qui dolo. ff. de R. V.* si vero bona fide consumpta est, & perempta; tunc subdistingitur: Aut creditor qui vult condicere rem vel pecuniam alteri solutam, & bona fide consumptam non solum habet hypothecam sed etiam privilegium personale & is admittendus est, ut fiscus, & de eo non est controversia per *l. pecunia. 7. C. de privil. fisc. & l. deferre. §. fin. de jur. fisc.* An vero idem sit in quocunque creditore priori privilegium simul cum hypotheca habenti, ut Muliere, mutuante in refectione &c. maxime controversiae est. Communis opinio est quod sic: ut refert. *Afflct. in d. decis. 190.* pro qua adducuntur. *l. ex facto. §. ult. ff. de pecul. l. sed an hic. ff. quod eum eo, & l. ult. §. et si prefatam. C. de jur. delib.* Et ita pronunciatum esse in causa & privilegio dotis testatur *Covarruv. pract. quest. tom. 2. c. 29.* propter *l. 2. C. deprivil. fisc.* ubi fisci privilegium doti competit, & equiparantur. A qua tamen *Covarruv. in precedentibus* dissentire videtur, cum dicit, communem opinionem non esse omnino certam, & in fisco fortassis esse specialem decisionem *in d. l. pecunia 7.* Aut creditor solummodo habet hypothecam absque privilegio personali, & non debet admitti contra eum qui bona fide solutionem istius, quod sibi debetur accepit & expendit, sed damnum suæ negligentiae imputare debet. *l. pupillus 24. ff. quo in fraud. cred. l. si non expedient. §. 2. ff. dereb. aut. jud. poss.* præsertim cum inde adsurdum sequeretur revocationi esse locum, re non extante, & sic totus mundus litibus vexaretur, nec litium esset finis, & ita pronunciatum esse in praetorio Regis Neapolitani, etiam si plures viri doctissimi & maximi nominis apud Italos contrarium consulti respondissent, refert *Covarruv. d. loc. ex Matth. de Afflct. d. decis. Neapol. 190. D. S. Strachha. intr. de decoctor. tit. qui pot. in don. decoct. n. 30. Kopp. quest. ult. decis. n. 10.* nec interest ex onerosa causa vel lucrativa creditor eam percepit, cum jura indistincte loquantur & omnes interpretes ita sentire videantur. *Covarr. d. loc. n. 3. Peregrin. de jur. fisc. lib. 8. tit. 8. num. 8. D. S. Joan. Fab. in §. item si quis. n. 25. Inst. de action.* Aut saltem habet

privilegium personale tantum, & similiter non admitti ad revocationem verius est. *Covarr. d. loc. ubi Capitii sententiam decif. 78.* contrarium eximantis reprobat. Aut denique nullus creditorum habet hypothecam vel personale privilegium, sed omnes sunt æquales; & revocationi locus non est, secundum tamen distinctionem *in preced. th. 78.* allatam, modo ei per gratificationem non sit solutum, aut per importunitatem à debitore extortū, sed justè per judicem impetratū. *l. 24. ff. Quæ in fraud. credit. l. quod a. §. Apud Labeonem. ff eod.* Vide eleganter sic distinguente *Beust. ad d. l. admonendi. p. 486.*

81. Ultimo notandum quod majori parti creditorum circa solutionis remissionem placuerit, idem & reliquis disdiscere non posse, nisi quis sit hypothecarius. *l. rescript. 10. ff. de pact. l. diem. §. si plures. ff. de recept. qui arbit. & omnes facere videantur, quod major pars facit. l. 19. ff. ad municip.* si modo omnes citati sunt. *l. si preced. 58. §. i. ff. mandat.* Ad unumquemque enim actum citandi sunt, quorum interest, alioquin non valet. *47. de Re judic. l. 39. de Adopt.*

Hæc de materia prioritatis creditorum  
breviter posuisse sufficient, quæ minus sufficienter proposita ex aliis autoribus &  
praxi suppleantur.



*Praestan-*

*Prastantissimo Domino Respondenti  
amico optimo.*

Quando lubet Salicos mox permutare penates,  
Fortuna ad patrios te revocante lares,  
Ede prius specimen studii melioris & artis,  
Quas genius longo tempore legit opes,  
Exsere doctrinæ neruos & flumina pande,  
De te judicium publica rostra ferant.  
Jam digestorum sinuosa volumina, toto  
Quidquid & Astræa in corpore juris habet,  
Quidquid habet Saxo, feudorum quidquid & usus,  
Omnia Mnemosinæ sunt bene nota tuæ.  
Nil prodest latebris absconsa scientia cæcis,  
Quæ censuram hominum non fugit, illa placet.  
Sic quem suscepit doctum Salana, remittet  
Auctum majori laude & honore domum.  
Tuq; tuum quamvis testem sub pectore gestes,  
Hoc tamen ellogio pulcrior esse potes.

*Joannes Gryphiander J.V.D.  
Histor. & Poës. Prof. publ.*

DASENI, puræ flos illibate Themistos,  
Nec non legiferi prodiga mellis apis,  
Quam tua commonstrat tibi virtus, scande cathedram,  
Et pete divinæ sancta theatra Dices.  
Quæ sit civilis, vel quæ sit copia juris  
Saxonici, doctè trade, tuere, doce.  
En tibi claustra patent uunquam mortalis Honoris,  
Pervius & lato tramite Laudis apex:


*Sic*

Sic tibi Justinianus opes committet opimas  
    Juris ut indages abdita sensa diu.  
Sic te fama feri tollet de pulvere vulgi,  
    Ut videoas turbam repere plebis humi.  
Hæc sudoris erunt certissima præmia, pernox  
    Quæsibi promeruit cura, laborq; vigil.

L. Mq; scrib.

Johannes Schroterus.

F I N I S.



05 A 130



13077

DR



**FarbKarte #13**



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

DISPUTATIO JURIDICA  
**UTILISSIMAM ET**  
COTTIDIANAM DE PRIO-  
RITATE ET CONCURSU CREDITORUM  
materiam tām secundum jus Civilē quām  
Saxonicum succinctē exhibens.

*Quam*

ADJUVANTE DEO

*Ex autoritate & permisso Amplissimorum Jūtorum in  
florentissimā Academiā SALANA,*

SUB PRÆSIDIO

Amplissimi & Consultissimi Viri,

Dn. DOMINICI ARUMÆI JCTI  
eximii, Antecessoris publici, nec non dicasterii  
provincialis ac Scabinatus Adsefforis solertissimi  
Præceptoris sui summè honorandi.

*Publicæ censure in Jūtorum Auditorio  
exponet*

GEORGIUS DASENIUS ROSTOCHIO-  
MEGAPOLITANUS,

Ad diem 3. Decembris. Anno 1614.

*JENÆ,*

---

TYPIS HENRICI Rauchmauls.

